



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1740. usque ad annum 1742

Fleury, Claude

Augustæ Vindelicorum, 1787

VD18 90119649

§. 20. Aliud ejusdem summi Pontificis decretum circa matrimonia occulta.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67882](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67882)

gem ad sinum Ecclesiæ pertrahere stu- Sæc. XVIII.
deat. III. Idem tenendum esse circa A. C. 1741.
ejusmodi matrimonia extra fines Domi-
nii Fæderatorum Ordinum vel Mosæ
Trajectensis a militibus ad custodiendas
arces, vulgo Barrier-Städt, destinatis
contracta. IV. Conjugia in regionibus
Principum Catholicorum contracta ab
iis, qui in fæderato Belgio domicilium
habent, vel in Hollandia ab iis, qui in
Catholicis terris domicilium habent, pro
validis vel nullis esse habenda juxta di-
spositionem juris communis.

§. XX.

*Aliud ejusdem summi Pontificis decre-
tum circa Matrimonia occulta.*

Die decima septima dicti Mensis idem
summus Pontifex alios, eosque
gravissimos abusus ex matrimoniis se-
cretis ortos penitus eliminare conaba-
tur: compertum enim habebat, apud
quasdam gentes plus nimium invaluisse
consuetudinem occulta matrimonia, con-
scientiæ vulgo nuncupata contrahendi,
ubi nempe vel extra vel intra Eccle-
siam januis tamen clausis, & sine præ-
missis denuntiationibus coram solo Pa-
rocho & fidei duobus testibus, seclusis
omnibus aliis, matrimonia celebrantur:
inde autem persæpe evenisse, quod, cum

D d 5

præ-

Sæc. XVIII. præter Parochum, contrahentes & testes nemo alius initi matrimonii scientiam haberet, aliqui relicta priore uxore aliam sub spe futuri Matrimonii decepterint, & libidinose cum ea vixerint, vel omnino eam vivente priore conjugum clam vel palam duxerint, non sine gravissimo prolium damno tam spirituali quam temporali. Præterea Pontifex inter gravissimas corruptelas jure numerabat secreta matrimonia, quæ dissentientibus Parentibus Filii familias, vel Clerici in Minoribus Ordinibus jam constituti contrahunt, & tamen adhuc beneficia retinent. Ut ergo tot malis remedium opponat Pontifex, serio omnes animarum Pastores hortabatur, ut sine gravi ac legitima causa in dispensationibus non dispensent, & sedulo examinent, an dispensati sint sui vel alieni juris, an filii familias, an eorum Parentes juste dissentiant, & utrum filii Clerici, & an contrahere volentes clari & indubia, & a quavis fraude exempta proferant documenta status liberi: si alterius ex contrahentibus Parochus, vel Minister, vel eo impedito probus & doctus Vicarius deputetur, qui conjugum de gravi obligatione proles in pietate educandi instruat. Præcepit etiam Pontifex, ut celebrato matrimonio Parochus mox scriptum desuper testimo-

num exhibeat, illudque ad acta relationum caute asservetur &c.

Sæc. XVIII.
A.C. 1741.

§. XXI.

Ordo Equestris S. Georgii in Bavaria novo favore auctus.

Jam supra meminimus, Ordinem Equestrum in honorem immaculatæ Virginis Mariæ sub invocatione S. Georgii Martyris a Carolo Alberto Bavaro Electore fuisse institutum. Hunc quoque Benedictus XIII. anno 1729. die decima octava Martii edito diplomate confirmaverat. Cum vero idem Elector pro sua pietate & avita erga res sacras reverentia sex Nobiles Viros in Ecclesiastica dignitate constitutos in hunc militarem Ordinem cooptare eo sine desideraret, ut ad majorem Dei gloriam, & Ordinis splendorem sacra Officia in dicti Ordinis Templo peragenda quam maxima potest majestate ac decore peragantur, hinc datis ad Papam literis rogabat, ut ad hanc rem Apostolicum quoque beneplacitum ac confirmatio accederet. Igitur æquissimis hisce precibus lubentissime annuens Pontifex, die sexta Octobris ad Electoris votum concessit, approbavitque, ut nominetur I. quidam *Episcopali* dignitate insignitus, qui ab omni Ordinarii Episcopi jurisdictione

ex-